

DISSERTATIO ACADEMICA,  
*Animadversiones Nonnullas*

DE

DECLINATIONE NOMINUM,  
IN PRIMIS FENNICORUM,  
CONTINENS.

---

CUS

PARTEM PRIOREM

CONSENTIENTE AMPL. FACULTATE PHILOSOPHICA  
IN REG. ACAD. ABOËNSI,

*Publice ventilandam fistunt*

*ESAIAS HILDEEN,*

PHIL. MAG. ac Stip. Segercrantz.

ET

*GEORGIUS LAURELL,*


*Stip. Reg. Satacundenfis.*

*In Auditorio Maj. die 14 Junii 1797.*

*Horis a. m. consuetis.*

---

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.





## §. I.

Variationes terminationum, quæ diversas Nomina cum aliis vocabulis in propositione (ut dicunt) collocatorum, relationes exprimunt, Casuum nomine vulgo veniunt: ratioque inde orta Nomina varie flectendi horum constituit *Declinationem* (a). Quæ cum maximæ videatur esse difficultatis in inveniendo artisque in fingendo, necessitas vim & perspicuitatem sermonis adjuvandi, homines, non repente, sed sensim ad ejus usum adducere potuit (b). Facultatem enim loquendi eodem fere modo, ac alias facultates homini concesgas, lente scilicet atque pedetentim, ad majorem culturam pervenire, vel

A

puero-

---

(a) Vid. MONBODDO von dem Ursprunge und Fortgange der Sprache (ed. Rigæ 1784 & 1785) P. II. L. I. c. 7. p. 54. HARRIS a Philosophical inquiry concerning universal Grammar (ed. Londini 1786) L. II. c. 4. p. 278. Admodum late rem definiunt, qui modum signis quibuscumque I. præmissis I. annexis, relationem Nominis ad alia ostendendi, declinationem vocant.

(b) Vid. MONBODDO P. I, L. III. c. 8. p. 348. & P. II, L. I. c. 8. p. 53.

puerorum, vim loquendi exerceantur, exemplo facile edocearis. Unde lingvas hominum, in barbarie adhuc haerentium, valde inopes fuisse & esse, non modo vocabulorum ad res varias apte designandas accommodatorum, verum etiam apparatus grammatici ad varietatem idearum exacte exprimendam conferentis, jure colligendum est (c). Quod de primis & barbaris lingvis, ut adhuc inopibus, aut ante cultum debitum obsoletis mortuisque, etiam quoad Casus Nominum, utpote majus jam prudentes artificium, sentiendum esse judicamus; quippe quae aut omnibus his terminationum varietatibus, aut plurimis, quibus aliæ ornatæ sunt lingvæ, constitutæ, reliquis vocabula necstendi modis, ad sensum sermonis exprimendum necessariis, utuntur, ideoque vim harum, aliis familiarium, ut obscuritas ex illo defectu oriunda evitetur, vel per construendi rationem, vel ope qvarundam particularum exprimunt. Quamvis autem causa, cur plurimæ lingvæ hodiernæ his terminationum varietatibus careant, inde minime derivanda sit (quarum copiam aut defectum, forte ex indole & cultura diversa lingvarum, unde ortæ sunt, vel hominum, qui istas primum adhibere instituerunt, suasque fecerunt, deducere licet), defectusque Cassum lingvam quandam minus excultam esse haud probet; quin tamen copia eorum modica inter virtutes

tes ejus referenda fit, nulli dubitamus. Quo enim plures lingva quædam habet Casus idoneos; eo & concinnius accuratiusque sensus sermonis explicari & liberius voces, quod Poëtis in primis prodest, transponi posunt. Multitudo enim illarum varietatum, quarum suam quæque habet vim diligenter observandam, salva perspicuitate & claritate orationis, facile illam permittit libertatem (*d*). Qvum vero lingvæ, Casuum quoque respectu, valde inter se differant, ut aliæ minorem, aliæ majorem horum habeant numerum, Specimen quoddam Academicum edituri, paucis rationem per terminationum varietatem, omnibus lingvis non æque insignem, Nominum ad alia vocabula exprimendi relationem, pro virium modulo exponere, respectum in primis Lingvæ Fennicæ habentes, animum induximus, sperantes fore, ut illud mitiorem L. B. experiatur censuram.

## §. II.

Ex definitione Casuum, qua horum notionem jam constituimus, lingvas plures, in primis hodiernas his destitui, luculenter patescit. Inter Casus enim & particulas, eorum vices in lingvis pluribus obeuntes, magna intercedit differentia. Unde Grammatici

A 2

harum

(d) Quod ad libertatem vocabula in Lingva Græca & Latina, hodiernis non æque propriam, transpondi varieque collocandi attinet, adeat, cui placet, MONBODDO P. II. L. III. c. 2.

harum Lingvarum status diversos, quos vocabulum in serie orationis adsciscit, quique particulis diversis præponendis dignoscuntur, minus commode Casuum nomine insigniunt. Quod facientes, nihil aliud, quam eas horum, quibus aliæ ornatae sunt lingvæ, esse signa vicaria indicare existimandi sunt. Terminatio enim vocabuli, his in lingvis intra quemque numerum plerumque unica est; quare ejus status ad vocabula alia, juxta posita, respiciens, ex particulis tantum aut ipsa constructione intelligi debet. Sic lingva Ebræa, Casibus destituta, ope particularum vel per construendi rationem, Nominis in serie orationis ad alia vocabula relationem exprimit (a). Quod de lingvis plerisque Europæis hodiernis valere, omnibus notum est. Quarum scilicet plurimæ, præter signa Casuum, eodem fere modo, quo Ebræa, per se & sola Casuum vim notantia, etiam (ut Gallica, Anglica) Articulo stricte dicto, qui, quando res, de qua loquimur, sensu finito sumenda sit, propriæ demonstrat, cum iisdem signis vel conjunctim vel separatim adhibendo, instructæ sunt. Sic lingva Italicorum, una cum præpositionibus (*di, a, da, Casus Genitivi, Dativi & Ablativi* vim exprimentiibus (b)), quæ Nominibus præmittuntur, Articulum quo-

(a) Vid. MEINER *Versuch einer Philosophische und allgemeine Sprachlehre* Th. II. Abschn. III. Haupft. 4. p. 187. & 197.

(b) Quos igitur Casus Grammatici vocant *Expresos I. Signatos*; *Nominativum & Accusativum, præpositionibus* destitutos, *Subin-*

quoque, ut significatio rei finita reddatur, exposcit. Qua vero ratione Itali, rem proprius definientes, hunc cum præpositionibus, munere Casuum fungentibus, connectunt; eadem & Galli, diversis vocabulorum relationibus accommodate, similiter perspicuitati student, ne numero quidem Articulorum majori, ab iis discedentes. Particulas enim Gallorum, quas Nominibus præmittunt, a Grammaticis varie denominatas, Philosophi considerantes, lingvam eorum unum tantum habere Articulum verum (s. m. *le*, f. *la*, pl. *les*), cui præpositiones *de* & *a*, ut relatio vocabuli in ordine sermonis apparet, præfigunt, jure forsitan monuerunt (c). Hinc facili intelligimus negotio, Gallos tum ope Præpositionum, Nominibus præmis-

A 3

farum,

*telleatos*; quatenus ipse sensus sermonis hos reddit claros. Quum vero ista Casuum signa *di*, *a*, *da*, cum Articulo (s. m. *lo* & *il*, f. *la*; pl. m. *gli* & *li*, f. *le*) Nominibus præponuntur, & signa & Articulus hoc modo coalesceunt: S. Nom. m. *il*, *lo*, f. *la*; Gen. m. *del*, *dello*, f. *della*; Dat. m. *al*, *allo*, f. *alla*; Acc. m. *il*, *lo*, f. *la*; Abl. m. *dal*, *dallo*, f. *dalla*, et cetera. — cf. KRAMER *Italiānische Grammatica* (ed. Noribergae 1722); de definitione Nomiaum p. 48, it. de Declinatione p. 55-66.

(c) Articulos enim quatuor a Grammaticis receptos, *Definitum*, *Indefinitum*, *Quantitatis* & *Unitatis* in unum ea ratione facile redigi posse putarunt, quod *Indefiniti de* & *a*, signa Genitivi, Dativi, & Accusativi, veræ sunt præpositiones; *Quantitatis du*, nihil aliud, quam Genitivus Articuli definiti, a *de le* (ut ejus *du* ab *a le*, aux ab *a les*) compositum (quod etiam convenit mori latine loquentium: comedit aliquid *panis*, *du* *pain*); *Unitatis* vero *un* Nomen numerale *l*. Pronomen indefinitum. Unde concludere licet, unum tantum Articulum, definiti nomine insignitum, Gallis proprium esse,

farum, tum per collocandi rationem, vim Casuum exprimere. Quia in re neque Angli alia progrediuntur via; Gallorum enim mori convenienter, Præpositionibus, *of*, *to*, *from*, tamquam notis Casus Genitivi, Dativi & Ablativi utuntur; ea tamen re ab iis discedentes, quod Anglorum Præpositiones, Nominibus præmittendæ, nunquam cum Articulo *the* coalescant (*d*). Qvum igitur nullæ his in Lingvis existant terminationum varietates, si differentiam Numeri singularis & pluralis, atque Genitivi, Anglis, Germanorum more, usitatam, excipiamus; sequitur, ut hæ omni careant Nominum declinatione. — Lingvam vero Germanicam ab illis eo recedere, quod tribus ornata sit Casibus, Nominativo scilicet, Genitivo & Dativo, e. g. *König*, *Königes*, *Könige*, in confessu est. Articulus hujus lingvæ, *der*, *die*, *das*, genera non modo tria designat; sed etiam per varietates in quoque genere plures, accuratius Nominum in sermone relationem dœfinit. — Magis hoc respectu ambigua est Lingva Svecana, duobus quidem gaudens Casibus, & definitis & indefinitis, genera tamen omnia non experimentibus (*e*).

## §. III.

(*d*) De Articulo Anglorum indefinito, quem præpositiones, *of*, *to*, *from*, utpote nota Casuum, constituant, idem ac de Gallorum sentiendum; a vero I. *an* notam esse Unitatis I. pronomen indefinitum, existimamus.

(*e*) Majorum morem Casum Dativum adhibendi, in libris quibusdam Religionis doctrinam exponentibus, in Sacro imprimitis Codicis.

## §. III.

Inter Lingvas vero notiores, Græcam & Latinam, plurimos habere Casus, omnibus perspectum est. Græca illa quinque ut plurimum veras habet terminationum varietates, nullum inter Dativum & Ablativum disserimen observans. Latina vero illa, hos quoque Casus terminatione diversa distingvens sex sibi saepe vindicat. Quæ lingva cum & tempore ignorantiae & barbariei magis cognita eset, & fere una, qua homines cultioris ingenii in scribendo uterentur, eam sensim adsecuta erat auctoritatem, ut homines eruditi, lingvas alias postea aut ortas aut hactenus rudes, quæ barbarem suam indolem pedetentim abolere & ad culturam pervenire inciperent, ad regulas certas adstringere & grammaticam earum formam indagare studentes, etiam quoad Casus, horum in Lingva Latina more ducti, nullam fere suæ lingvæ hac in re habentes rationem, æque plures illis obtrudere non dubitarent. Ex copia enim Casuum unius lingvæ, copiam horum aliis in lingvis æque magnam minime inferre licet; quantum hi ad genium cuiusque lingvæ vel plures vel pauciores esse possunt. Qvum enim loquens vocabulum in serie orationis, quoad conditionem multiplicem, quam tenere potest, ad notionem rei accurate

---

ee, adhuc residuum, Lingvam nostram hodiernam non agnoscere, notissimum est.

rate exprimendam & ambiguitatem sermonis evitandam, certis signis ab omni alio statu varie distingvere necesse habeat; sequitur, ut numerus Casuum vel major vel minor esse possit. Hoc vel inde patet, quod lingua iis destituta particulas ad eorum vim exprimendam adhibere necesse habet. Quod Galli e. g. præpositionibus *de* & *a*, Nominibus præmissis, id Romani Casu Genitivo, Dativo & Ablativo designant. Quum vero multæ sint relationes vocabulorum, quas ne Romani quidem sine particulis præponendis indigitant; nullum est dubium, quin istæ quoque novis terminationum varietatibus, Nominibus addendis, exhiberi possint. Quod demonstrant lingvæ majori harum copia præditæ, ut Fennica & Lapponica; forte etiam Ungarica.

#### §. IV.

Quod aliis contigit lingvis, id & Fennicæ, ut, qui primum præcepta hujus lingvæ grammatica traderent, minus diligenter ejus indolem geniumque indagantes & introspicientes, eam ad lingvæ latinæ consuetudinem adstringere studerent, indeque regulas grammaticas deducerent. — Sic Grammatici veteres, præcepta Lingvæ Fennicæ proponentes, *Aesch.* PETRAEUS, Episcopus olim Aboënsis (*a*); *Matth.*

---

(a) In *Institutione Lingvæ Feunicæ*, Aboæ 1649 8:o, edita,

Matth. MARTINIUS, Præpositus Hauhoënsis (*b*); & Nob. Mich. GYLLENSTOLPE (*c*), Nomina per Casus tantum sex (Ablativo quatuor terminations, *Ida, ita, sa, illa* tribuentes), indelem magis Lingvæ Latinæ, quam Fennicæ spectantes, variari docuerunt, quæ autem recentiores (Vocativum tamen minus accurate peculiarem constituentes Casum) per 14 declinari ostenderunt. Grammaticæ Fennicæ disciplinam, quam illi admodum mancam tradiderant, eam inter hos Ilmolenium in Ostrobotnia Pastor & Præpositus Barth. VHAËL (*d*) atque Rev. Scarensium Episcopus Dan. JUSLENIUS (*e*) diligentius atque emendatius exponentes, numerum quoque & vim Casuum accuratius explicuerunt. Quorum vestigiis insistentes in hac eorum vi paullo diligentius evolvenda, additis observationibus nonnullis practicis, versari juvat.

B

Quod

(*b*) In nova editione Institutionis Petriæ, nomine *Hodegi Fennici*<sup>3</sup> Holmiae 1689 8:o editi, aliquantum aucta.

(*c*) In *Descriptione Sveciæ, Gothiæ & Fenniæ* (Aboæ 1650 ed. 8:o) hanc quoque rem, Cap. X, in transcursu attingens.

(*d*) *Grammatica Fennica adcuratiore Methodo — antiquissimæ hujus — lingvæ — peculiarem ab aliis Europæis lingvis differentem genium, flexiones & Conjugationes — illustrans*, Aboæ 1733 8:o, evulgata.

(*e*) In Scriptis variis in lucem editis, Casuum vero indelem in primis in Annotatis suis ad Grammaticam Vhaëlianam inchoatis, sed mox abruptis, quorum igitur nonnisi paucissima exempla jam sufficiunt,

Quod facturi, ordinem Casuum a Rev. JUSLENIO adhibitum observabimus, ea tamen facta immutatione, ut *Vocativum*, quippe Nominativo semper similem, omittamus.

### §. V.

De origine Casuum (quorum insigni copia Lingua Fennica præ aliis multis pollet), quæ primum quidem fuerat nobis explicanda, qvum nihil certi statuere possumus; mox ad ea, quæ de enjusque horum vi & usu in universum, Auctoriibus quos jam indicavimus consultis, atque observationibus usi nobis benigne traditis, didicimus, paucis exponenda, rationem cujusque variationis sigillatim explicaturi exemplisque illustraturi, nos conferemus.

i. **NOMINATIVUS** (*a*) igitur rem simpliciter indicans, subjectum propositionis non modo agens, verum & patiens exhibit, sine quo fere nulla existere potest sententia regularis atque perfecta; verbis etiam passivis præmittitur, quando tota res aut actio aliqua

(*a*) Litem inter Peripateticos & Stoicos agitata, utrum *Nominatus* sit Casus habendus, nec ne? verbo tetigisse sufficiat. Quem illi e Casuum numero sublatum voluerant, hi Casum rectum (*πτωσιν ορθην*), reliquos vero Casus obliquos (*πτωσεις πλαχυιας*) vocarunt. Vid. HARRIS I. c. c. 4. p. 278.

qua efficienda exprimi debet (b): *Ihmisten on järjellinen, homo ratione est ornatus; Jumala loi ihmisen, Deus creavit hominem; huone raketaan, domus aedificatur.*

2. NUNCUPATIVUS, desinens in *na* vel *nn* (*Kälanä, ihmisenä, kiiotrena, wäsyynä* (c)), Nominativum aut Accusativum indicat modificatum. Quum in re indolem, qua aliquid agit vel patitur, & statum, in quo agit vel patitur, indicamus, hoc utimur Casu: *Lasna* (l. *lapsena*), *miesnä* (l. *miehenä*) hän sen teki, *infans*, *vir existens id egit*; *istun oikiana, erectus sedet*; *malaa surutoimia, woimatoimia, dormit securus, jacet infirmus; wiherjäisnä wihoittaa, viridis germinat*. Cum Verbo etiam *pidän*, *habeo vel judico*, Fenni Nomina, pretium vel indolem rei indicaturi, saepe in hoc Casu adhibent: *minä pidin hännen pilkkana, tyhmänä, wüssä, illusi eum, demensem, sapientem juoticavi; hän pitää ihens sunrena, se magnum vel præstantia eminentem putat*. Deinde rem, cuius similitudinem aut vicem subiectum aliquod gerit,

B 2

rit,

(b) Quando vero subiectum patiens ex parte tantum consideratur, tum lingua Fennica hoc habet peculiare, ut Casum Accusativum Partiale poscat: *huonetta raketaan*, longe aliud valet, quam: *huone raketaan*. Qua de re infra pauca monebimus.

(c) Quod tam in hac, quam terminationibus Casus Accusativi, Mediatici, Penetrativi, Locativi, cet. pendet ex praecedentibus vocalibus; major enim majorem, minor minorem requirit vocalem analogam seu alternantem. Vid, VHAËL I, c. p. 18.

rit, vel cuius locum tenet, ope hujus terminationis Fenni significant: *kuksi linduna, kalana, avis, piscis* instar perrexit; *oli sanansaattajana*, erat nuntius, vel *propius*: vices sustinuit nuntii; *tuppi huovilla tupanya*, miekan kärki *kartanona* (d). Denique tempus ad quæstionem quando? & quanto temporis spatio? Fenni hoc designant Casu. Quod ad priorem attinet quæstionem, hac terminatione tum utuntur, quum per vocabulum temporis definitum, totum illud spatium, intra quod aliquid acciderit, indigitant (e), aut ad istud vocabulum (e. g. *wuosi*, *päivä*; exc. *hetki*,

---

(d) Quum igitur de re, que certum tenet statum, qua talis, vel a gente vel paciente, mentio sit; videtur vocabulum, aut ipsam rem, aut statum ejus innuens, per hunc Casum semper exprimit debere. Cujus ope ambiguitas illa, qua interdum laborat Lingua Latina, duos e. g. adhibens i. Nominativos i. Accusativos, vim diversam habentes, facile evitatur. Nominativos v. c. Substantivorum in his: *Conon prator pedestribus exercitibus præfuit*, & *præfectus classis res magnas mari gessit* (Nep); item Accusativos in his: *habuit provinciam partem Ciliciae* (Id); *malitiam sapientiam* judicant (Cie.), apte per Nuncupativum fennice explicari posse existimo. Tässedes mind menen *wiatoinna* pafanain tygö (Act. C. 18. v. 16). Quod etiam tum plernaque observandum, quum abjectis particulis, duæ propositiones (ut in Lingua Latina) in unam, Verbo propositionis in Particípium præteriti (sensum jam nominatum exprimentis & post Substantivum colloquendi) verbo, contrabuntur: mind *sidottuna* (non *sidotu*) hengeid matkustan Jeruseliuin (l. c. c. 20. v. 22.); etta he haawoitiuna (non haawoitetur) pädäsit sittä huonesta ulospaikinemaan (l. c. c. 19. v. 20.).

(e) Nomina dierum & festorum hunc Casum semper respectu hujus questionis exigunt, solitariaque sepe ponuntur: *Maanantaina, Lauwantaina*, die Lunæ, Saturni; *Jouluna*, in festo Nativitatis Christi,

hetki, wikkö) Nomen definitens vel numerale ordinale addunt: *Luminis hiva kesänäkin, ruoka wibja wuosinäkin* (Prov.) *calor bonus (est) & tempore aestatis, cibus & annis a frumento copiosis, wüumeisenä talvenä, tempore hiberno proxime praterlapso;* *kohmandena wuomia* (päivänä), *tertio anno (die) (f).* Ad quæstionem: *quanto temporis spatio?* in hoc Casu tum respondent, qvum vocabulo, tempus indigitanti, Nomen numerale cardinale (l. aliud vocabulum definitens) adjungunt, quod temporis spatium, quo aliquid factum esse vel fieri perhibent, accuratius definit: *Kahdena wükköna* (päivänä), *intra duas hebdomades (dies).*

3. ACCUSATIVUS, qui Nominativo efficienti vel Verbo Activo effectum aut objectum patiens subject, in Lingva Fennica est duplex: *Totalis & Partialis.* *Totalis*, aliquod totum, integrum & definitum de re innuens, quoad terminationem in Numero sin-

B 3 gulari

(f) Aegre differentiam inter *Nuncupativum & Mediaticum* respectu hujus quæstionis accurate exponi posse putamus, nisi omnia vocabula temporis primum ad sua genera referantur, & ratio vocabula cujuscunque generis adhibendi separatim explicetur. Ea tamen re aliquantum differre videntur, quod *Nuncupativus* indicat totum temporis spatium, intra quod aliquid contigit; *Mediatus vero* quasi partem ejus spati (forte medium) aut speciem temporis: efr. e. g. päivällä & tänä päivänä; yöllä & tänä yönä; chrolla & tänä ehtona, cet. In quibus *Mediatus* Svecice exponitur per om & p; *Nuncupativus* vero indigitatur sape cum *Præpositio-* ne i (inom).

gulari cum Genitivo, in plurali autem cum Nominativo convenit (g) (*Kalan, ihmisen, wåsynen*): *Löi wi-hollisen, cecidit adversarium; sōi leiwān, comedit panem, (totum); teki työn, perfecit laborem; noukei marjat, carpit baccas* (omnes carpendas, vel certo loco existentes). *Accusativus vero Partialis* (*Kala, ihmista, cet.*) partem aliquam rei, seu quid indefinite, ac ex parte tantum, fieri indicat: *löi wi-hollista, plagis adversarium affecit; sōi leipää, comedit aliquantum panis; teki työtä, laboravit; noukei marjoja, carpit baccas* (h). Deinde Casus ille Partialis adjungitur  
Com-

(g) Vid. VHAËL I. c. p. 10.

(h) Iis, quæ de his Accusativis jam observavimus, pauca nobis addenda videntur.

1. Fenni adhibent tum plerumque *Accusativum Partialēm*, quum rem ex parte designant, seu actum quendam, sine idea ejus absolvendi, innuunt: *tekee* (l. *teki*) *työtä*; *Iuen* (l. *Iuin*) *firja*: *Totalēm* vero, quum mentio sit alicujus rei perficiendæ, aut jam perfecit: *Iuen* (l. *Iuin* *firjan*).

2. Quum vero hic *Casus* vel *Totalis* vel *Partialis* ad aliquid definiti & indefiniti simul indigitandum sœpe conferat; sequitur, ut ambiguitatis incommodum, in Lingva e. g. Latina ex defectu *oriens Articuli* (eui Græca pluresque hodiernæ, eo prædictæ, occurserunt), Lingva Fennica, eodem quoque carens, in iis aliquo modo evitet relationibus, ubi *Casus Totalis* vel *Partialis* adhibendus est. Unde colligere licet, inter *Accusativum* Lingvæ Fennicæ *Totalēm* atque *Cajum Svecicæ Definitūm*, inter *Cajum Partialēm*, atque *Indefinitūm* aliquam intercedere similitudinem: mindā sōn *leiwān* l. *leipää*, jag åt brödet esser bröd. — Quod deinde ad *Cajum* attinet *Accusandi Partialēm* (quadantenus etiam ad *Totalēm*) Gallorum Fenni tum sequuntur morem, quum Verbum Actiuum hunc Casum adsefecit. Ubi enim Galli adhibent *Articulum*

Comparativis & Superlativis (ut Ablativus in Lingua Latina Comparativis); qui cum illis collocatus per particulam *kun* exponi potest: *håndå* (*mínua*) *wiisambi* (*wiisambi* *kun* *hån*, *kun* *mínå*) *illo*, *me sapienter*; *kawalín* *kaikia elåimitå*, *callidissimus omnium animalium*. Porro hic Casus Partialis exprimit aliquid ex toto complexu rei unitatem superante poni, per Nomen numerale ordinale significato: *on elånyt kari toista kymmentä wuetta* (i. *kari* *wuotta* *toista kymmentä*), *duodecim annos vixit, vel propius: duos annos,*

*Quantitatis nomine insignitum, ibi nostri utuntur Accusativo Partiali. Quod interdum etiam contra valet; ubi scilicet illi collificant Articulum Definitum, ibi nostri Accusativum Totalem (i. Nominativum cum Imperativo): donnez du pain, anna leipää, je donne le pain, annan leiwän.*

3. Plane singularis loquendi modus, Linguae Fennicae proprius heic observandus est, quod scilicet Verbum Activum (alias Accusativum adsciscens) in prima pers. sing. Imperativi (ut Verbum Passivum in omnibus Modis e. g. *Kirkko tafettiin, tempium adificatur*) ad aliquid totum & definitum indigitandum, Nominativum Casum (loco Accusativi Totalis) sibi vindicat; *Iue se Firja* (non *Kirjan*), *lege iulum librum*; *syb leipä* (non *leiwän*) *ede panem.*

4. Quum Fenni eam in relatione objecti determinanda adhibeant diligentiam, ut positive loquentes inter totalem & partialem sensum distingviant, indeque ex parte de re loquentes dicant. e. g. *teen työtä* (non *työn*); sequitur, ut de re negative loquentes multo minus Accusativum Totalem adhibeant. Patet igitur ratio, cur dicant: *älkä anna, minusse Firjoja, ne des mihi libros;* en syb *Leipää, non edo de pane.* Quum hanc tum illam (3.) regulam a Dr. VHAËL jam observatam esse monet Auctor, qui explicaciones vocabulorum & phrasium (in Oratione Dominica occurrentium) Grammaticæ Vhaëlianæ (quæ in Bibliotheca Reg. Acad. in Manuscripto servatur) adposuit.

*annos, ultra decadem.* — Tum etiam vocabula numeralia, cardinalium nomine insignita (ræter *yri*, *unus*) hunc adsciscunt Casum (*i*).

4. FACTIVUS (i. Mutativus) desinens in *xi* (*kala-*  
*xi, ihmisxi*), primum id, in quod res vel objectum  
sermonis, aut vere, quoad naturam, indolem & con-  
ditionem, aut nomine tantum tenus, mutatur, de-  
signat: *rūmīs raukee tomuri*, *corpus dissolvitur in*  
*pulverem*; *saatti sen hywāri*, *id bonum reddidit*; *tuli*  
*mieheri*, *vir evasit*; *asetti hānen pāčmieheri*, *ducem*  
*illum constituit*; *kukui hānen hērrari*, *illum dominum*  
vocavit (*k*). Deinde haec terminatio finem indicat,  
cui attingendo res inservit, aut hanc bono vel malo  
alicui esle: *oleoon simulle ilorū*, *lohdntuxeri*, *st tibi*  
*gaudio, solatio*; *anno pantiri*, *pignori dedit*; *annan*  
*ruohot syötawāxi*; *tehkāat se miyuu muisroxeni*,  
*hyndein*

(i) Vid. VHAEL I. c. p. 39. Inde causa derivanda, cur Fenni ad questionem *quandiu?* his Nominibus premissis in *Accusativo Particuli* respondeant; wiippi *Kaupungia* somme *pāivādā*, *triduum in urbe moratus est*; Nomen vero *yri* sensu affirmativo adhibentes, vocabulum temporis una cum ipso nomine numerali in *Casum Totalem* collocant.

(k) Egregium hic quoque Casus præstat usum ad perspicuitatem sermoni conciliandam. Ubi duo e. g. *Accusativi* latino sermoni ambiguïtatem pariunt, ibi Fenni adhibent *Accusativum* ad personam, & *Factivum* aut *Nuncupativum* (vid. supra not. d) ad rem indigtantam (cfr. exempla tam illi, quam huic Casui subjecta). Ex quibus illum Casum tum plerumque adhibent, quum mutationem quandam physicam vel moralem innuunt, hunc vero, quum de re, qua tali, aliquid dicunt,

**syndein andexi andamiserit;** se on hānesle **funniari,**  
**est illi honori (l); minā otan firjan lukeareni,** *librum*  
**fumo legendi gratia (m).** Denique ordinem vel seriem  
**rei gerendæ exprimit: ensimmañsexi, toisexi, primo,**  
**secundo.**

5. **MEDIATIVUS**, habens terminationem **Illa I. Illā**  
**(talalla, ihmisellā), designat instrumentum, quo ali-**  
**quid fit: sōi miekalla, gladio percusit; Jumalan**  
**awulla, auxilio Dei.** Tum exprimit statum, quem  
**res agens vel patiens tenet: tekee hywällā mielellā,**  
**sydåmen ilolla, lubenti facit animo, gaudio affectus;**  
**siurella surulla, magno dolore; on hywällā tilalla,**  
**est homo bonæ conditionis; on talolla, prædium pos-**  
**det & colit.** Deinde hæc terminatio indicat locum  
**exteriorem vel in superficie positum, ad quæstionem**  
**ubi? On pöydällä, super mensa; seisoo wuorella,**  
**laattialla, keddolla, super monte, pavimento, humi;**  
**kulkee merellä.** Postea in hoc Casu ponuntur Nomi-  
**na temporis (ut talvi, kewä, suwi, syry) ad quæ-**  
**stionem quando? solitaria, sine vocabulis definitivis**  
**adhibita (excc. hetki, wükkö, nonnullaque alia, quæ**  
**& Adjectivis conjuncta usurpantur): talwella, hiber-**

C

no

(l) Quum igitur Romani & personam & rem, *Dativo* (*Verbis sumus affero, duco, do, tribuo, cett, addito*) exprimunt; tum Fenni eam *Dativo* & hanc *Fallivo Casu* perspectam reddunt.

(m) Quo sensu (sinem sc. indigitante) terminatio hæc, *Infinitivo praesenti* annexa, semper usurpatur.

*no tempore; nouis yöllä, nocte surrexit; tuli pätival-  
lä, venit de die; tapahtui tällä hetkellä, hac hora  
accidit (n). — Verbum Substantivum olen (sum) hoc  
Casu adscito (ut in Lingva Latina cum Dativo), de-  
notat habere: minulla on kirja, tawareita, mihi est  
liber, mihi sunt opes.*

6. DESCRIPTIVUS (*Kaloit, ihmisen*) innuit mo-  
dum certum in agendo vel patiendo observandum:  
**omin käsin**, *suis manibus*; **omin luxin**, *sua via*;  
**pahoim mielin**, *agro animo*; **parhain pääm**, *in me-  
liorem partem*; **monim kerroin**, *multoties*; **Satan  
kielin**, *Germanice*; **parhain jalwoim**, *nudis pedi-  
bus (o)*.

7. GENITIVUS (*kalan, ihmisen*) in universum aut  
rem vel personam, cui aliquid proprium est, sive ad  
quam aliquid, utpote pars, posleslio, proprietas vel  
accidens refertur, aut causam efficientem indicat:  
**miehen toimi**, *miehen mieli*; **miehen järki**, *miehen  
kieli*, *viri dexteritas, viri animus, viri intellectus, viri  
lingua (p)*; **terävä tekevän ase**, *tyhjä weisi tyh-  
mäist*

(n) cf. supra not. (f.)

(o) Hæc autem terminatio non in quovis Nominis locum habere so-  
let. — De cetero etiam in statu affixo sepe usurpatur: emändis  
vensi, poikinen, curiusmodi exempla plura extant *Exod. c. 35.*

(p) Laus, quam Poëta quidam defuncto fratri (in Epicedio ejus me-  
morie dicato, quod laudatum vide in Disserit Cel. PORTHAN de  
Poësi Fennica P. III. p. 67.) tribuit.

mān mīchen, acutum (est) industrii instrumentum, hebes culter satui viri (q); Tumalan thōt, opera Dei.

8. DATIVUS, desinens in lle (**Kalalle**, ihmiselle), in universum personam vel rem, cui aliquid additur aut contingit, designat; primum eam, in cuius potestatem aliquid pervenit, aut cui aliquid boni vel malii contingit, in Svecica Lingva per åt aut för exponendam: annu simulle, do tibi; tulee **Isalle**, competit Patri; tuou hanelle, ei adfero; minulle hymäxi, mihi commodo; teille wahingoxi, vobis damno (r). Deinde haec terminatio (quum quæritur quo? aut quorsum?) indicat locum in superficie positum vel exteriorem, ad quem aliquid transfertur, aut aliquid per motum loco aliquo externo collocari: pane **pöydälle**, laattialle, aktunalle, pone in mensa, pavimento, fenestra; wei vuorelle, korkialle, duxit in montem, culmen; meni merelle, mari ingresus est; tuli meille, venit in nostram domum.

9. PENETRATIVUS (**Kalaan**, ihmiseen, aliis: **Kalahaa**, ihmisehen), ad quæstionem quo? aut quorsum? cum motu quodam in locum interiore aliiquid transponi aut inferri, seu in statum aliquem redigi significat; vel rei aliquid indi aut inseri ostendit: meni **Kaupungiuu**, Kirkkoon, taloon, apium,

(q) Vid. Disser. laud. P. IV. p. 73.

(r) Cf. supra not. (l).

*profectus est in urbem, templum, villam, auxilio; ioutui  
orjuteen, sanguiteen, in servitutem, carcerem incidit.*  
Deinde terminum ad quem non nunquam exprimit:  
*eklāstā kirk'oon penitusia, a pago ad templum;*  
*pāiwāstā pāiwāan, a die in diem.* Postea hic Casus  
designat locum exteriorem, cui res conditionem mu-  
tans arcte adhaerescit: *istu maghan, pete humum se-  
dendi gratia; tartua sota aseisūn, arma prehendere;*  
*tirwes satui kīween; lōi kātenā pōytāan.*

10. LOCATIVUS, desinens in *sa* l. *sa* (*Kalasa, ih-  
misesā*), primum locum interiore, ubi aliquid est,  
aut complexum, quo aliquid continetur, aut etiam  
statum, quem res tenet, significat, & aliquid rei  
inesseret, rem aliquid habere vel continere simul innuit: *is-  
tuu huonesā, sedet in domo; elāā Jumalan pelwosa, in  
timore Dei; on wihasā, in odio (apud aliquem);*  
*kōyhyypdesā, in paupertate; wiikosa on seihemān  
pāiwāā, in hebdomade septem dies; talosa on paljon  
tararata.* Deinde haec terminatio, ad quæstio-  
nem: *quanto temporis spatio?* indicat terminum, in-  
tra quem (nexu continuo) aliquid sit vel factum est:  
*kuinga monesa pāiwāssā se tuli walmiri? quot diebus*  
*id perfectum est? Kolmesa, nelhāssā pāiwāssā, tribus,*  
*quatuor diebus.* Tum nomina Mensium, ad quæstio-  
nem *quando?* hunc Casum exposcent: *taptahtui Tam-  
mikiusa, in Januario.* Denique locum exteriorem,  
cui res haeret, vel hanc illum attingere haec termina-  
tio indicat: *rippuu minusa, adhaeret mihi; rippuu  
pmisa,*

*punja, pendet in arbore; hān on terwasa, pice liquida perlitus.*

II. PRIVATIVUS, exiens in Idā l. Idā (kalalda, ihmiseldā), subjectum, cui res adhærens (ut *Ablativus*, cui res inhærens) aufertur, in universum exprimit (§); unde, quum *Ablativus* plerumque explicatur per *de l. ex*, *Privativus* exponitur per *a l. ab*. Inter multas relationes, quas hic Casus innuit, non nullas observare liceat. Per hanc terminationem Fenni vulgo designant subjecto rem aliquam adimi, aut ab illo, ut causa efficiente, sumi: *sai mūlđa, a me accepit; warasti isälđa, a patre furatus est; phvsi hāneldā, petiit ab illo;* deinde locum exteriorēm sive in superficie positum (aut tractum quendam, unde aliquid transfertur), ad quæstionem unde? etti *pöydälđa, kedolda, e mensa, campo cepit; tulī maalda, rure venit; tulī alhalda, sildā kūmalda;* tum aliquid gradatim fieri: *alta ajälđa, per intervalla temporis; talo talolda; tylä kylälđa, pagatim;* porro causam efficientem cum exhibito Verbo Passivo: *mailma on Jumalalda luotu, mundus a Deo creatus est; käsky on Reisarilda annettu, mandatum a Cæsare editum;* denique illud, ad quod in re respectus proprie habetur: *ei ollut iso isälđa, wahwa warren kaswannolda, non erat grandis cætate, firmus strukturæ (corporis) incremento.*

---

(§) Vid. JUSLENIUS annotata, de quibus supra §. IV. not. (e).

12. ABLATIVUS, cuius terminatio est **sta** l. **stā** (**Kalasta**, **ihmisenstā**), subjectum, cui res inherens aut in eo existens auctoratur, in universum significat. Primum igitur denotat, ad quæstionem **unde?** locum rei interiorem, ex quo per motum aliquid exit, vel complexum, cui aliquid adimitur, vel multitudinem rerum, unde una aut plures desumuntur: **otti ar-  
fusta, e cista; tuli kaupungista, ex urbe; otti puista he-  
delmān, ex arbore fructum;** — **talosta puolen, dimidium  
prædii; on Kalista nāistā paras, borum omnium optimus;** deinde itatum, habitum & conditionem quamcunque, unde mutatio in aliam sit: **ei itku hādāstā pāastā, poru pāiwistā pas-  
hoista, non fletus e periculo liberat, lamentatio e diebus ma-  
tis (prov.); kādty Ruožin Eielestā, e Svecana lingva ver-  
sus; teki sawesta kuwan, ex argilla; oudoista omni tulewat,** e peregrinis sunt cognati; tum indicat objectum sermonis, quod Latini per particulam de exprimunt: **puhui ihmisenstā, astasta, de homine, de re;** porro originem & motivum actionis seu consilii: **teki ylpeydestā, huolimattomuudesta, ym-  
märtämättömydestā, ex superbia, negligentia, inscientia;** **tyhmä puhui tyhmypydestā;** postea terminum **a quo:** **sittā pāivästā wükkö, ex eo die hebdomas (præterit); nuoruus-  
desta sühnen tottunut, a teneris asvetus; kari penikulmaa kaupung sta, duobus milliariis ab urbe distat;** denique Non-  
nina (quum quælio est quando?) ad initium aut finem defini-  
tiū spatiū indigitandum, in hoc Casu ponuntur, nomine tem-  
poris aut proxime præterlapsi aut ineuntis præmisso: **Kewā.  
suwesta, astate ineunte; syys suwesta, astate præcipite; huo-  
me, pāivästā; chto, pāivästā.** Hic Caius construitur etiam cum vocabulis opulentiam aut egestatem, attributum aut acci-  
dens aliquod significantibus: **rifus rahasta, dives pecuniae; tyh-  
jä jyväistā, vacuus frumentorum; on hyrä luonmostans, est  
bonus natura sua.**

13. NEGATIVUS, desinens in **ta l. tā**, rem proorsus removet ejus-  
que absentiam designat: **Iewātā, sine pane; Kalata sine pisce;**  
**ihmisenstā, sine homine; suolata, sine sale; epäilemätā, sine dubio.**